

scriptis is minime audeat Hæreticam appellare hujusmodi opinionem. Ad hæc S. Augustinus Lib. xx. cap. 7. de Civit. Dei, hoc est in Opere, quod ipse ad umbilicum perduxit circiter An. Christi ccccxxvi. opinionem hanc neque profus extinctam, neque omnino exsecrandam prodit, immo se olim in eam concessisse testatur. *Quæ opinio, inquit, esset utcumque tolerabilis, si aliquæ deliciae spirituales in illo Sabbato ad futuræ Sanctis per Domini præsentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando.* Denique pro eadem opinione circiter Ann. Christi ccccxxv. stetit Severus Sulpicius. Nam, uti S. Hieronymus Lib. xi cap. 36. in Ezech. scribit, Millenarium Regnum pollicitus nobis fuit, nuper Severus noster in Dialogo, cui Gallo nomen imposuit. Itaque Millenarii erroris funus tutius differatur in Sæculum Christi v. quo revera leves in auras abiit. Sunt qui scribant, illius caussa a Gelasio summo Pontifice Anno ccccxciv. Severi Sulpicii Dialogum in Concilio Romano improbatum fuisse. Ego rem in medio relinquo. Certe Gennadius in Opusculo de Ecclesiastic. Dogmat. ejusmodi Opinionem, uti sacris adversantem, improbat.

Ceterum in confutanda Millenariorum Fabula tempus ego non teram. Laterem lavant, & cæcutire volunt in meridie, qui temporibus nostris, ut aliquid novi adferant, a doctoribus & sapientioribus hæc in re dissentire non erubescunt. Hoc unum dicam, videlicet, S. Jo: in Apoc. xx. 4. dum ait. *Et vixerunt, & regnaverunt cum Christo Mille Annis*, perspicue hæc scripsisse de Martyrum Animabus a Corpore separatis; vidit enim Animas decollatorum propter testimonium Jesu; atque adeo illarum Regnum statuitur; antequam cum redi-viva Carne contubernium recipiant. Dicit, inquam, Animas: quo nomine, quum de vita functis agitur, mortalium tantummodo Spiritus designantur. Quid ergo Millenarius Burnetus studet, ut incautus obtrudat, non Anima tantum, sed & Corpore e mortuis suscitato, regnatos Sanctos cum Christo in somniato suo Regno? Deinde quid est, quod post Mille Annos *silvetur Satanæ, & seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog.*? Si Burneto fides, præcedet totius generis humani Resurrectio in Carne, ac supremum Christi Judicium: deinde succedet terrenum Christi Regnum cum Sanctis, Mille duraturum annos. Et nihilominus vides, etiam durante Regno Christo, innumerabiles Gentes a Deo averfas, testante S. Jo. superfuturas esse in terra. Profus hæc abhorrent a descriptione extremi Judicii, quam S. Matthæus nobis proposuit. Sed persequi non juyat multiplicia Burneti somnia, qui hisce, & aliis, dum vixit, inanimibus phantasmatibus oblectatus est, suæque Genti aut mirandi, aut ridendi non semel occasionem præbuit. Quicumque sapit, facile intel- liget, Johannis prophetiam, alioqui perobscuram, de Regno Christi mille Annos duraturo, ut sibi divinæ Literæ consent, immo ut secum sit concors idem S. Apostolus, non aliam admittere interpretationem, quam quæ a S. Augustino, prælaudato Lib. xx. cap. 7. de Civit. Dei,

aut